



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Macarius Patriarcha. 10. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

rathro desperationis absorptus es, Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat à corde, non recedat ab ore.
S. Bern. serm. sup. Missus.

S. MACARIUS PATRIARCHA.

10. Aprilis.

MACARIUS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis pauperes, quos unus ille domi Palatinos, foris antambulones habuit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fugit, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrū Christi petiit. Sed Saracenorum scelere ad ipsa ossa usque lacera virtus, & tribus clavis pavimento affixa, pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet, se ipsa prodidit: prodidere Angeli in auxilium missi, ipsique jam hostes MACARIUM, & quod caput est, in MACARIO DEVM agnoverunt. Interea parentes suum esse dedecus arbitrati, orbam filii insulam filiumque exulem videre, mittunt, qui aut verbis, aut vi adducant. Et jam parabant hanc illi. Sed cælo pugnante capti oculis manibusque, quas ad facinus extenderant, MACARIO se dediderunt. Hic cruce, quæ illi scipionis loco serviebat, oculos & manus reddidit, itaque expeditus exul orbem deinde pererravit, Bojariæ quoque hospes, demum Gandavum in Flandriam pervenit, relictis ubique symbolæ loco ingentibus miraculis, quæ unico suo scipione dedit cruce insignito. Flandriam cum dirissima lues popularetur, sese cum gemino socio vicariam urbis victimam morti objecit. A morte geminum circulū cæli ostenderunt & crucem in altero, ut sciremus, quò crux scipio illum abduxisset. Sed numne MARIAM amavit?

II. April. VITÆ SANCTORVM. 187
amavit? Non nisi in cryptâ eidem dicatâ sepeliri
voluit. Et verò ubi mollius ossa nostra jacerent,
quàm in sinu MARIÆ? *Ex Sur. & Bav. S.*

*Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis
mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te glo-
riari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in ca-
mino habere te mecum, quàm esse sine te vel in calo.*
S. Bern. serm. 17. Qui habit.

S. STANISLAUS EP. M. II. Aprilis.

Iustitia præfides multos habet, Patronos pau-
cos. STANISLAUS aded Cracoviensis Antistes
mortuum citare testem coactus est, ne optimâ
causâ caderet. Prædium à Petro viro nobili em-
ptum, fraude amicorum ejusdem propè perdide-
rat, nisi illum ipsum Petrum, triennio antè defun-
ctum, ad Judices redivivum adduxisset, quem ne-
mo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare.
Vitiorem severus vindex semper audit, ignarus
regulam flectere, seu pauperum tabernas, seu re-
gum palatia metiretur. In omnem peccandi licen-
tiam Boleslaus Rex prouerat, quem nequicquam
admonitum STANISLAUS piorum tribu movit.
Non erat Rex huic probro concoquendo; sed vin-
dictam spirans, satellitibus ad aram stantem, victi-
mam objicit, iisque tertium divinâ virtute vim
afferre prohibitis, ipse carnificis munus occupat,
& laniati à se Antistitis membra dispergit. Dam-
narunt crudelitatem quatuor Aquilæ perpetuis
excubiis reliquias tutatæ; donec miraculo cæle-
stique luce exciti mortales eas in urnam compo-
nendas legerunt. Juvit pietatem divina manus, la-
cerosque inter se artus ita colligavit, ut nullum
crudelitatis vestigium superesset. Non sustinuit
impus